

Dissertatio medica inauguralis, in qua veterum medicorum sententiae de phrenitide curanda proponuntur ... / ex auctoritate ... Francisci Fabricii ... pro gradu doctoratus ... eruditorum examini submittit Josephus Letherland.

Contributors

Letherland, Joseph, 1699-1764.
Fabricius, Franciscus, 1663-1738.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Joh. Arnold. Langerak, 1724.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gwx3g6t3>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS,
IN QUA

VETERUM MEDICORUM SENTENTIÆ
DE PHRENITIDE CURANDA
PROPONUNTUR,

E A M,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. FRANCISCI FABRICII,

S. S. THEOL. DOCT. HUIUSQUE UT ET ORATOR. S. IN
ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARIJ, UT ET
ECCLESIAE IBIDEM PASTORIS.

Amplissimi SENATUS Academici Consensu, & Nobilissima

Facultatis MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

JOSEPHUS LETHERLAND, ANGLO-BRITANNUS.

Ad diem 5. Julii 1724. horâ locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOH. ARNOLD. LANGERAK,
1724.

D^{no} Edwards.

DISSERTATIO
 MEDICA IN AUGURALIS
 IN QUA
 VETERUM MEDICORUM SENTENTIA
 DE PHRENTIDE CURANDA
 PROPONUNTUR,

A. M.
 ANNUNTIANTE DEO TER OPT. MAX.

FRANCISCI FABRICII
 S. THEOL. DOCT. HUSSONIS UT ET ORATOR. S. IN
 ACAD. LOD. RAT. PROFESSORIS ORDINARI, UT ET
 ECCLESIAE IBIDEM PASTORIS.

Amplissimi Senatui Alacornensi Concessu, Et Nobilissimi
 Facultatis Medicæ Dignitate,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summius in Medicina Honoribus Et Privilegiis
 illis ac legitimis consequendis,

Exaltationem Facultatis Submittit

JOSEPHUS LUTHERLAND, Anglo-Britannicus.

Idem 7. Julii 1754. Lond. locum habuit.



LUGDUNI BATAVORUM.
 JOH. ARNOLD. LANGERAK.

1754

Handwritten signature or note at the bottom right of the page.

GULIELMO HOWARD, M.D.

THOMÆ WALLIS, M.B.

Coll. Magd. Cantabr. Socio,

MATTHÆO CLARK,

ET

MATTHÆO RAPER,

JOSEPHUS LETHERLAND.

S. D.



Obis, Amici optimi, quorum gratissimo comitatu in Academiam Lugdunensem primò introductus sum, Opusculum hoc Academicum dico; vix dignum sanè quod vos accipiat: Id verò an melius confecisse possem, nescio; majori cum diligentia certè potui: Sed cùm diligentiam meam in

DEDICATIO.

res magis necessarias me majori cum fructu conferre posse sentiam, ad mediocritatem tantum aspiro: satis habens si non pejus edam opus, quam juveni candidato condonare velit Professorum illustrium humanitas: Materiam igitur suscipio, quam sine multo labore vel sollicitudine tracto, Auctorum veterum scrinia facile compilans, & ex variis Centonem meum non admodum curiosè contexens. Et inter Amicos quidem nostros, à quibus omnia mea consilia approbata esse velim, vos Advocatos vel Patronos meos habere cupio, qui non ignoretis quibus rationibus excusari queat hæc mea differendi indiligentia. Non autem Opusculum hoc vobis dicare volo, ut sit animi grati monumentum sempiternum, ut loqui amant nonnulli, multas enim, ut opinor, vobis gratias debebo, cum hoc leve munusculum non amplius extabit. *Kal. Julis. 1724. Lugduni Batavorum.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHRENITIDE.

um ab optimâ magistrâ Experientiâ nondum edoctus sim, mihi dabitur hanc veniam, Lectores eruditi, ut propriis opinionibus & conjecturis hodie parcam, & priscorum sententias proponens, in illorum auctoritate delitescam: Neque vobis minus gratum fore spero, præcocium & juvenilium opinionum loco, vetera atque gravissima accipere præcepta, quæ vel rationibus probabilibus, vel longo usu & Experientiâ ducti, artis nostræ Patres atque Principes de morbi periculosissimi curatione olim tradidērunt: Illorum igitur sententias de curandâ Phrenitide conabor hîc describere; quantum eas ex istis reliquiis assequi potero, quæ nobis quasi tabulæ de vetustæ medicinæ naufragio nunc supersunt.

A

Mor-

Morbus de quo scribere instituo, à verbo *φρένες*, ut nōstis, Græcè nomen habuit: Et quoniam id verbum apud priscos (a) Græcos tum mentis tum septi transversi nomen fuit commune, inde factum est ut initio tum mentis continuum in febre delirium, tum septi transversi morbus acutus, communi nomine *φρενίτις* appellarentur. A Platone philosopho (b) factum est ut septum transversum nomen vetustum *φρενῶν* amitteret; quum enim is in eâ sententiâ fuerit, ut hanc partem in corpore pro (c) septo positam esse censeret inter duas animæ partes, quas in pectore & in jecinore constituit; Tantum valuit ejus in philosophiâ auctoritas, ut exinde à posterioribus hæc pars *διάφραγμα*, hoc est, septum communiter appellata fuerit. Inde vocabulum *φρένες* menti proprium factum est, quod ei fortasse solum per translationem primò accommodatum fuerat ab hominibus priscis qui mentem in præcordiis sedem habere opinabantur: Et quemadmodum nomen *φρένες* à septo transverso ad mentem, sic nomen *φρενίτις* à septi transversi morbo ad mentis delirium translatum esse verisimile videtur. Sed de hoc Grammatici viderint; diversæ sunt enim super hâc re sententiæ. Certam verò morbi definitionem hic præmittere necesse non habebo, nam id mihi propositum est, ut quicquid reperiam in veterum scriptis de curandâ phrenitide id huic meo opusculo sine discrimine inseram, quoniam de isto malo scribere instituo, quod illi phrenitidem nominabant, sive unum sive etiam plures morbos isto nomine designaverint. Inter illorum plerosque qui-

(a) *Φρένας ἐκάλουν οἱ ἀρχαῖοι τὸ διάφραγμα.* Erotian.

αἰεὶ ὁ ποιητὴς φρένες καλεῖ τὸ διάφραγμα. Scholia Pseudodym. in Il. w. v. 504.

(b) V. Galen. in libris de loc. affect. Cap. ubi de Septi transversi morbis agit.

(c) *Τὰς φρένας διάφραγμα εἰς τὸ μέσον αὐτῶν πέντες.* Plat. in Timæo.

quidem convenit phrenitidem esse, ubi est continua in febre dementia; verum de mali sede summâ dissensione certatum est, utpote quæ ex animi sede definiatur, & super illâ celebratissimâ quæstione quàm diversæ (d) fuerint Philosophorum sententiæ, vos minimè ignaros esse credo. Hæc autem subtiliùs persequi non est hujus loci. Siquid aliud ad explicationem dictu necessarium sit, id curationibus ipsis subtexam, quas tradere nunc aggredior.

Et utinam ab Hippocrate liceret incipere: Sed magni illius Græcæ, ut ne dicam etiam nostræ, medicinæ Parentis & Auctoris de hujus morbi curatione nullum omnino scriptum habemus, (e) teste Cælio Aureliano, locuplete vetustatis auctore. In iis tamen libris qui sub Hippocratis nomine nunc habentur, plures curandi rationes reperio. Ut in istâ priscæ medicinæ Epitome *Ἐπιτομὴ ἰατρικῆς* inscriptâ, quam in usum populi, quos *ἰδιώται* Græcè vocat, conscriptam fuisse constat, hæc de Phrenitide tradita sunt. „Ubi phrenitis occupat, primùm levis febris detinet, & dolor circa præcordia, magis autem „dexterâ ad hepar: cùm autem quartum aut quintum „diem attigerit, tum febris vehementior, tum dolores „majores fiunt, colôrque biliosus redditur, & mens offenditur: Huic ad dolorem eadem quæ in morbo laterali exhibere, (scilicet (f) quæ bilem & pituitam à „parte affectâ deducant, quod fit alvum per clysteres „refrigerantes eluendo, & exhibendo sorbitionem & „portiones acidiores quibus sputum educatur) & quâ parte „dolor detinet tepefacientia admove, Alvum etiam

A 2

„cu-

(d) V. librum de Philos. dogm. apud Plutarch. Galen. aut Eusebium in præp. Evangel. capite *Ἐκ τῆς ἱερατικῆς*. Sext. Empir. adv. Mathemat. Cic. Tusc. Quæst. Tertull. de anim. Aurelian. Acut. 1. 8. & alios.

(e) Libro de Phrenitid. cap. 12.

(f) V. curationem pleuriticorum ibi antea traditam.

„curare, & eadem reliqua facere, excepto quod ad vi-
 „num attinet; In potum verò quicquid volueris exhi-
 „bere, præterquam vinum, vel acetum cum aquâ
 „& melle dare: Vinum utique tum in hoc morbo, tum
 „in quibusvis aliis (*) *ubi febris est*, mente læsis mini-
 „mè convenit: Caput autem multâ calidâ fovere in
 „hoc morbo utile est; nam mollito & laxato corpore
 „sudor movetur, & alvi urinæque viæ aperiuntur, at-
 „que æger ex oppresso levatus & quietus fit. Hic mor-
 „bus oritur ex bile commotâ ubi ad viscera & septum
 „transversum resederit. Hactenus Epitomes auctor quem
 Hippocratem magnum fuisse nescio; cum Chryssippi
 Cnidii sectâ convenire in nonnullis planè video; velut
 in illo celebri (g) dogmate *De venâ non secandâ*; Quip-
 pe in Pleuritide, Peripneumoniâ, Phrenitide & Causo
 (hoc est, ut ipse explicat febre viscera perurente) aliis-
 que morbis omnium acutissimis de sanguinis missione ne
 verbum quidem ullum in hoc libello reperietis. Videtis
 autem quem morbum sub phrenitidis nomine describat;
 quod vel ex iis quæ antè dixerat satis clarè perspicitur:
 nam cùm in initio libelli superiorum partium morbos de-
 scripserat, ad eósque transit quæ in cavitate fiunt, sic
 enim illam partem Latinè significare licet, quam Græcè
 κοιλίαν appellat, hoc est, & (h) pectoris & abdominis re-
 gionem, quæ à faucibus ad inguina intus continetur;
 Morbi cavitatis, inquit hi sunt; Pleuritis, Peripneu-
 monia, Phrenitis, Causus. Ex quo patet ab illo quidem
 auctore septi transversî morbum sub Phrenitidis nomine
 signi-

(g) V. Galenum in libris de V. S. contra Erasistratum & Erasistratos
 & in lib. de curat. per V. S. (*) Sic legunt nonnulli.

(h) Κοιλίη, πᾶσι ἢ ὑπὸ τὸ Διάφραγμα ὀρυχωρία ἢ ἡ Ἐντέραν δὲ ἐνίσσι.
 Erotian. idem apud Galenum notatur. Ruffus Ephesius θώρηκα vocat
 eam regionem.

significari. In libro qui de morbis tertius inscribitur, hæc quoque de Phrenitide tradita sunt : „ Phrenitides „ fiunt etiam ex aliis morbis : Hæc autem sub illo malo „ patiuntur ; Septum transversum adeò dolet, ut hujus „ regionem ne tangi quidem sinant ; Febris accedit, „ mente alienantur, & immotis oculis aspiciunt, & alia „ faciunt illis similia qui pulmonis morbo laborant, „ quando illo quidem morbo laborantes mente alienati „ sunt. Hos tepefacientibus humidis fovere oportet & „ potionibus præterquam vino, & si fieri possit per su- „ periora purgare ; per tussim autem & sputum quem- „ admodum in pulmonis morbo sursum educere oportet, „ sin minùs, alvum movere ut dejiciat, & præcipuè po- „ tionibus diluentibus humectare maximè prodest. Sic ille, sive Polybus ut credunt nonnulli, sive quis alius fuerit : Curationem autem cum illà quam suprà tradidi convenire, & ne hoc quidem auctore de mittendo sanguine quicquam hîc præceptum esse animadvertitis : Quod quàm longè discrepet à præceptis Hippocratis quæ in libro de ratione victûs in morbis acutis * legimus non opus est ut vos admoneam. In eodem libro alibi descripta est Peripneumonix curatio, quam eandem phrenitidi quoque convenire perhibet. Ea verò in his præcipuè consistit, ut primò caput relevetur, nequa defluxio fiat in pectus, deinde ut diluentibus & dulcibus potionibus solvatur, si quid intus est coagulatum, postea ut iis medicamentis quibus sputa moveantur iisque simul quibus ducatur alvus, sic moderata sit curatio, ut neque per alvi astrictionem intendatur Febris, neque per nimiam dejectionem aliò ducatur humor, quem per superiora evacuare fatius esset. Hæc quidem circa Phreniti-

A 3

dis

(*) Text. 17. Com. 4. Gal.

dis curationem præcepta sunt in illis libris, quos ab Hippocrate magno conscriptos fuisse hodie vulgò credimus.

Ab Hippocrate ut ætate sic famâ proximus fuit Diocles Carystius, qui circiter Philippi vel Alexandri Magni tempora medicinam in Græciâ fecit. Hic phrenitico si juvenis esset, si viribus integris, si sanguis abundaret, si vino deditus fuisset; sanguinem mitti debere (i) scripsit; etiam post quartum diem, nonnullis post septimum vel octavum. Illo quidem remedio veteres sic ferò uti solitos esse (k) reperio; id quod ab Ægyptiorum vetustâ disciplinâ illos servasse credibile est, ubi ante quartam certè diem movere quidquam medicis non licuit (l); hoc autem ut serum auxilium à posterioribus repudiatum esse scitis (m). Venas autem Diocles non solum in brachio sed etiam sub linguâ secandas esse proposuit. Utile quoque phreniticis balneum esse, si modò viribus valentes essent. Etiam allio ad Phrenitidem usus est teste Plinio Secundo (n), naturalis historiæ scriptore, (o) ideo fortè quòd cùm illud adversus Ebrietatem valere existimaret, etiam mentem phreniticis redditurum crederet, vel etiam quòd urinam ciendi vim haberet, quam illis pessimè suppressam esse vidimus. Hæc de phrenitico morbo quasi fragmenta conservata sunt ex illius antiquissimi & celeberrimi medici libris; in quibus quidem perdendis, nos magnam jacturam fecisse, imò verò omnium pulcherrima priscae medicinæ monumenta perdidisse censendum est: nam si ea præcipua laus est, quæ ab excellentibus ingenio æstimatoribus, & à castissimis judicibus

pro-

(i) Aurel. Acut. 1. 12. (k) Hippocr. lib. 3. Epidem. §. 3. Ægr. 8. Galen. Ifag. cap. 13. (l) V. Aristot. libris de Republicâ. (m) V. Cels. 2, 10. 4, 6. Aurelian. passim. Galen. ubi suprâ. (n) N. H. 20. 6. (o) W. Hipp. de rat. vict. in morb. acut. Text. 80. Com. 4. Galen.

proveniat, hic certè inter veteres medicos primas tulisse videtur, quem illi ipsi Athenienses, quorum ut ait Cicerò, semper fuit prudens sincerumque judicium, summo illo atque unico condecorabant Elogio: ALTER HIC HIPPOCRATES: quo majus illo tempore dari non potuit; tum enim adhuc recens erat inter Græcos illius magni viri memoria, qui, ut cum Sorano dicam, σύμπαντι τῷ Ἑλλάδα θεραπεύων ἐθαυμάσθη.

A nobis autem ad alia festinandum est, & ad eam ætatem jam transeundum, in quâ floruerunt in Ægypto artium & medicinæ studia, sub regibus Ptolomæis literarum & artium magnis Fautoribus. Et circa hæc quidem tempora, vinum insanientibus in febre utile esse, vir magni nominis Erasistratus contra priores autores (p) affirmavit: Et haud ita multò post, ut videtur, Cleophrantus id præcipuum in febribus auxilium esse (q) contendit, ejusque Sectam secuti sunt nonnulli, de quibus postea dicendum erit.

Ad Heraclidem verò Tarentinum Empiricum nunc veniendum, cujus quamvis tempora incerta sint, tamen illum florentibus Tarentinorum opibus vixisse probabile (r) est; vigentibus itidem in Ægypto & in Asiâ literarum

(p) Aurelian. Acut. 1. 13.

(q) Plin. N. Hist. Galen. Cels. 3. 14.

(r) Clericus, si rectè memini (nam dudum est quòd illius præclarum opus inspexerim) hunc Heraclidem recentiore esse suspicatur, in eam opinionem inductus propter locum istum ubi Apollonius Mus (quem ille Apollonium istum Empiricum à Celso in præfatione memoratum esse censet) dicitur à Strabone vixisse καὶ ἡμῶν. Sed quàm laxè illud καὶ ἡμῶν apud Strabonem usurpetur, jamdudum à Vossio notatum est, lib. de Histor. Græc. ubi de Posidonio agit: Id non advertens eundem hunc errorem de Heraclide Erythræo & Apollonio erravit Conringius, Introduct. ad Medicinam. Neque video ubi Clericus reperiat apud Strabonem, Apollonium istum Heraclidis Erythræi συχολαστῆν, ipsum quoque fuisse Erythræum.

rum & artium studiis, in quibus locis eum Empiricæ sectæ dogmata didicisse admodum verisimile videtur. Hic autem (s) præcepit, ut phrenitici primò in tenebris haberentur, & ut duceretur alius, & ut mitteretur eodem die sanguis: Caput quoque aquâ fovendum esse, in quâ Laurus decocta esset; dein tondendum; & iterum fovendum, dein rosâ ungendum esse proponit: & illi postea Cataplasma imponendum quod conficitur ex polline & aquâ mulsa, adjectis etiam oleo lentiscino, Iride Illyricâ, & Calamo aromatico; novissimè unguento quod peucedanum, castoreum & opium recipit, caput & nares impleri debere scribit: Vespere decoctis papavere & serpyllo, ex eâ aquâ caput foveri, & ex medicamentis quæ (t) opiata recipiunt, paulum quantum satissimum mulso dilui & potui dari jubet: Alvum autem quotidie duci debere dixit, & ægrum abstinentiâ uti, usque dum morbi remissio fiat, deinde jusculo gallinaceo & ptisanâ vel hordei vel oryzae cremore, postea cibis variis uti. Et hæc quidem communia sunt: Præter hæc in hoc morbo proprias quasdam observationes adhiberi debere proponit. Ergo si ex cruditate phreniticus quisquam est, huic sanguinem mitti non oportere, sed ejus vice purgationem ex scammonio utilem fore, cætera verò quæ supra posita sunt eadem adhibenda fore; præterquam quod huic Cataplasma non nisi benè vacuato corpore in caput imponi debere dicat. At si sanguine non abundare corpus, caput verò solum impletum esse videatur, venam in fronte rectè secari ait. Illud etiam videndum an ex corruptione phrenitis non invadat, his enim alvum ducere

(s) Aurelian. Acut. l. 17.

(t) Bechicum, Diaspermaton. Diacodion. V. apud Cels. 5. 25. Galen. lib. de Comp. med. &c.

cere & aquam liberaliùs potui dare convenit, aliquando etiam mulfum, & vinum Chium vel Rhodium primò dilutum, deinde etiam meracius exhibere. Haftenus ille nobilis Empiricus, vir bonus & simplicis veritatis amicus, cujus in arte medicâ prudentia, diligentia, fides & probitas, apud veteres autores paucis quidem verbis, at dignè tamen celebratâ sunt. Animadvertitis autem opiatorum usum hoc autore primò fuisse phreniticis adhibitum; & eam quidem medicinam ab Empiricâ Sectâ nunc primum in morbis acutis usurpatam fuisse constat; quod quamvis non sinè multo discrimine, præcipuè in hoc morbo fiat, ubi sæpe mala est in veterum propensio, tamen à (v) posterioribus usque ad (x) nostra tempora ex Empiricorum antiquâ disciplinâ, cum aliquâ quidem cautione servatum esse video: Verùm illius olim quidem celeberrimæ sectæ scripta intercidêrunt universa, ejúsque memoria penè extincta est, & ipsûm nomen in vituperationem abiit: nisi quod nostris demum temporibus in Sydenhamo nostro tum secta tum mores Heraclidis revixisse videantur. Quod eò libentiùs hîc commemoro, tum ut curationem quam phreniticis adhibuerit (y) Sydenhamus obiter adnotare liceat; ut qui Heraclidis exemplo & opiata & fortiores purgationes, libentiùs quidem quàm in hoc morbo nonnulli solent, videtur usurpasse: tum etiam ut quantum honorem populari nostro tribuam, testari possim; qui quidem vir simplex, antiquisque moribus medicus, in antiquorum medicorum principum consortio, juxta Heraclidem singulari probitate virum,

re-

(v) Galen. &c. (x) Riverius in Praxi. Sydenham. de morb. Acut. Boerhaave. Ap. 781.

(y) Sydenh. de morb. Acut. §. 1. cap. 4.

rectè collocari videtur. Sed ex viâ digredior: Jam ad alia tempora veniendum est, & ad hominem longè diversum.

Asclepiades Magnus primus ex medicis Romanis fuit, qui nominis celebritatem aliquam adeptus est; Hic Pompeii Magni & Ciceronis temporibus vixit, hujus etiam medicus & amicus extitit; medicorum autem longè eloquentissimus, quippe cum ab oratoriâ docendâ ad medicinam faciendam accesserit: In Philosophiâ maximè sectatus est doctrinam Leucippi & Democriti, illi fere (z) similem quam Epicurei profitebantur, & quam hodie Mechanicam appellamus. Ea enim in Italiâ tum temporis maximè (a) vulgaris fuit Philosophiæ secta. Multa verò tum in Philosophiâ, tum in medicinâ mutavit, quæ à plurimis scriptoribus memoriæ tradita sunt. Tam celebris igitur factus est, ut Antiochus Academicus, (haud certè sectæ suæ morem servans, quem oportuit in omnibus ἐπ'ἐχεν,) hunc nemini medicorum secundum esse audacter (b) pronunciaverit. Cornelius Celsus noster suo more verecundiùs eum multarum rerum autorem bonum esse (c) prædicat. Quæ verò in phrenitide curandâ maximè innovaverit, ex ipsius ejus curationibus videbitis, quas in Cornelii Celsi & Coelii Aureliani libris hu-

(z) Ab Epicurea in nonnullis discrepavit; velut circa necessitatem, de quâ re erravit Clericus in Asclepiadis historiâ, ubi credidit Aurelium erravisse; ut sentietis si de Leucippi & Democriti sententiis circa necessitatem consulatis Laert. in vit. Leucipp. & Democrit. Ciceronem Lucull. & libro de Fat. Sextum Empiric. advers. Physic. pag. 577. Edit. Fabricii ut ceteros taceam.

(a) Vide illa quæ apud Ciceronem de Amasani & Catii scriptis variis in locis narrantur, præcipuè initio lib. 4. Tusc. Quæst. Lib. quoque primo de Finib. Hor. Sat. II. 4. v. 1. &c.

(b) Apud Sext. Empiric. adv. Mathemat. (c) Cels. 4. 4.

hujusmodi fuisse scriptum est. Phreniticum in loco lucido haberi debere, & primis morbi diebus à cibo potu & somno abstineri, & ei alvum per Clysterem duci, mulsum quoque exhibendum esse, sed melle antè decocto, ne ex eo flueret alvus; & odoramentis & fomentis ex castoreo, peucedano, rutà & aceto utendum esse dixit; vespere ut ægro daretur aqua præcepit, tum ut frictio admoveretur lenis; postero die iisdem omnibus factis exceptâ alvi ductione, vesperi ei daretur sorbitio & aqua, rursusque frictio abhiberetur, vel etiam lenis gestatio; per hæc enim nos consecuturos ut somnus accedat. Sed crebram alvi ductionem in hoc morbo maximè vituperavit, & præcipuè sanguinis missionem, à quâ quidem sic abhorruisse dicitur, ut perinde esse dixerit sanguinem phreniticis mitti, ac si trucidentur; utique ex eo futurum esse ut æger vel in cardiacum vel in vocis defectionem incidat, vel per totam vitam perpetuâ fatuitate laboret. Et hæc curandi ratio mitior saltem; Illa verò magis anceps, quâ nonnullos ægros tractavisse fertur, quam & ipse Græce (d) φιλοπαράβολον, hoc est, periculi plenam appellavit. Ea vero in hoc præcipue consistit, ut mulsum & vinum falsum & meracum eâ copiâ dentur, donec æger omnino ebrius ex iis fiat. Per hæc enim nos ea omnia citius consecuturos ait, quæ ex sorbitione & frictione speravimus; utique venarum pulsus excitabitur, & æger ex somno faneſcet. In quâ curatione nescio an Cleopantum secutus sit Asclepiades, quem quidem in pluribus sequebatur (e); ipsum certè nemo ex medicis iterum temerè sequi debet: Cælius Aurelianus ille methodicæ medicinæ vaferrimus interpret

hanc

(d) Cæl. Aurel. 1. 15. (e) Cels. 3. 14.

hanc curationem pluribus argumentis & jocosè exagitat, quæ quidem transcribere nolo; solum unam ex ejus festivitatis accipite; scilicet hanc medicinam ait phreniticis rectè præcipi, quum illam certè nemo sanæ mentis accepisset (f). Hæc de Asclepiadis medicinâ dicta sufficiant. Ex ejus discipulis notissimus Themison fuit, in quem & illud maledici poetæ dictum est (g),

— — quorum si nomina quæras,
 Promptius expediam quot amaverit Hippiæ mæchos,
 Quot Themison ægros autumnis occiderit uno.

adeò ut si Poetæ fides sit, & hujus curationes non minus videantur extitisse φιλοπαράβολαι. Ab Asclepiadis autem sectâ tandem descivit, & novam sectam, eamque in præceptis omnium timidissimam in senectute condidit, quæ Methodica appellata est. Phreniticos hac ratione curandos esse proponit (h): Initio morbi mulsam & forbilia exhibere, etiam cucurbitam & poma dare; & per hyemem aceto, per æstatem aquâ quibus admixta sit rosa caput fovendum esse dicit, & tertio vel quarto morbi die aquâ & oleo, adjecto etiam hederæ vel serpylli vel menthæ succo: Et si per morbi accessionem in thorace fervor est, rosâ fovendum esse, tum etiam faciem frigidâ perfundi debere: Balneum post tertium diem utile esse scribit, si primò in solium descendat æger, deinde perfricetur, tum iterum in solium descendat, & post balneum caput rosâ perfundatur. Cùm de-

(f) Pag. 57. quem locum non capit Scholiastes: enim apud Aurel. ibi est autem, adhibere est habere, propriam est phreniticam.

(g) Juvenal. Sat. 10. (h) Aurel. Acut. 1. 16.

declinet morbus, vinum liberaliter adhibendum esse, nisi quid mali ex usu vini fieri constet, tum enim aquâ denuo per triduum vel quatrimum uti oportet. Hæc quidem Themison præcipit, quæ ut non optima fortè, sic ea neque omnino periculosissima videtis esse remedia.

Ad Cornelium Celsum nunc venimus, elegantissimum nostrum & verè Atticum scriptorem, cujus curandi rationem malim ut ex ejus libris quàm ex meâ narratione accipiatis. (i) Videbitis autem hunc ubi primò morbi remissio vel etiam aliqua imminutio est, statim sanguinis missione, deinde alvi ductione uti, tum interposito die caput tondere, & aquâ fovere in quâ reprimentes herbarum decoctæ sint, deinde rosam adhibere, & rutam ex aceto, & medicamenta sternutationem efficientia naribus admove, nisi si admodum imbecillus æger sit, huic enim satis esse proponit si rosâ adjecto serpyllo caput sit madefactum. Herbarum quoque muralis & solani succum, si utroque simul caput impleatur, utilem fore prædicat. Cùm se febris remiserit, frictione utendum esse, & omni studio tum nitendum, ut ægri mens ad meliora abducatur; tum verò crocinum unguentum cum irino in caput rectè dari, ex quibus sperandum erit somnum accessurum fore: Qui si ex his minimè accedat, arcessendum tum demum illis medicamentis esse, quæ papaver & hyoscyamum & alia ejusmodi recipiunt, vel intus datis, vel etiam ad caput & frontem adhibitis; eâ tamen cautione, ut ne ægrum in talem somnum conjiciamus ex quo illum excitare postea non possimus: Ad somnum etiam conferre gestationem post cibum, vel filani cadentis

B 3

tis

(i) Cels. 3. 18.

tis lene murmur, vel lecti suspensi motum. Et si sanguis initio missus non sit, cucurbitularum usum utilem fore, si occipitio inciso admoveantur. In potum autem aquam mulsam, hyeme quidem ad ternos cyathos, æstate verò ad quatuor dari debere. Cibum autem infirmum, & maximè sorbitionem in hoc morbo convenire, & eâ quidem moderatione dandum esse, ut neque per impletionem insaniat æger, neque per imbecillitatem cardiacus fiat, qui quidem exitus in morbis acutis pestiferus est. Hæc est curatio quam apud illum prudentissimum autorem scriptam esse reperietis.

Proximè Celsus Aretæus rectè collocari (k) videtur, is quoque scriptor elegantissimus. Ejus autem curandi præcepta hæc sunt: Principiò quidem præcipit ut æger in tali loco collocetur, ubi mens ejus ex rebus juxta eum positis quàm minimam offensionem accipiat, deinde ut primo vel secundo die sanguis ex brachio mittatur; si verò delirium tardius accedat, tum venæ sectionem ad septimum usque differendam fore, ultra hunc verò, illam inutilem esse proponit: Neque multum sanguinis
mitti

(k) Aliter à doctissimis quibusdam viris statutum est. In codice Aretæi qui multis in locis per Josephum Scaligerum correctus, in hujus Academiæ Bibliothecâ servatur, adversus Henischii conjecturam, qui Aretæum Plinio recentiorē esse credidit, hæc ad marginem scripta animadverti. „At vetustissimum esse, & florentibus Græciæ opibus vixisse, unum argumentum hoc satis fit: Ionismus isque vetustissimus, quo utitur. Nam certe diu ante Cæsariana tempora Ionismus & Dorismus in scriptis desierat. In quâ sententiâ Vossium fuisse notum est, cujus & is Codex postea fuit: Huic verò dudum à Menagio responsum est de Ionismo. Et Aretæum quidem neque vetustissimum esse, neque diu ante Cæsariana tempora scripsisse, uno argumento conficitur: Scilicet antidoto theriacâ notissimâ utitur eamque *Mitbridaticam* appellat. (cap. de curat. Epileps.) Porro, ut etiam illud adjiciam; Celtas Γάλλους

mitti debere, nisi si delirium à septi transversî morbo fieri constet. Et cum brevissimæ sint in hoc morbo remissiones ægri viribus per cibum quamprimum consulendum esse: Cibus autem humidum esse debere, & sorbitionem quidem utilem esse in quâ decoctæ sint herbaræ ex iis quæ urinam moveant & faciliè digerantur, ut sunt Satureia & Anethum & Apium. Olera quoque illa convenire quæ lenia sunt, & mollem alvum præstant, sed his omnibus circa morbi judicationem parcius uti oportere: Si verò diutius trahat ægritudo, etiam illa dare quæ ex tritico fiunt, in quibus nonnunquam carnes aliquas ex imbecillissimis incoquere utile erit; verum mulso & omnibus vinosis abstinendum esse, nisi magna imbecillitas urgeat. Capiti verò oleum acerbum vel rosam adhibere, quibus si ægri locutio deficiat, etiam hederæ vel polygoni succus adjectus sit, vel oleo in quo serpylli coma incocta sit uti; & si vehementius delirium est, oleo in quo peucedanum & spondylium decocta sint, adjecto aceto, caput implere, maximè in ipso accessionis impetu, tum etiam frigidâ caput perfundi debere: Ad furorem leniendum utile esse si posca aut aquâ in quâ conyza decocta sit, facies foveatur, deinde si

cenan-

vocari scribit, quæ quidem appellatio à recentioribus Græcis est. Nam qui antiquissimis Κελτοὶ fuere, illos Γαλάττες apud Callimachum primùm vocatos esse reperietis, auctore Spanhemio; (ad Hymn. in Delum.) quod cum iis probè consentit quæ tradit Pausanias in Atticis. Tandem à recentioribus Γάλλοι vocantur. ut apud Appianum initio Belli Hispan. (Edit. Paris. pag. 255.) Κελτοὶ ὅσοι Γαλάτται τε καὶ Γάλλοι ΝΥΝ ἀπεσυρμένονται. omnino ut apud Aretæum τῶν Κελτίων, οἱ ΝΥΝ καλεῖσθαι Γάλλοι. Sic in parallelis minoribus qui Plutarcho tribuuntur, apud Galenum quoque de Antidotis, Callimachi Scholiasten, aliosque sexcentos ex recentioribus nomen Γάλλων invenietis, minimè verò apud vetustissimos Græcos. (V. Voss. in Catull.) Hæc certè summos illos Grammaticos & Criticos decuit animadvertisse; ut illa taceam quæ ex Aretæi medicinâ ducuntur argumenta,

œnanthino aut crocino unguento caput & nares impleantur: At si furor & vigiliæ vehementiùs urgeant, tum somnum, rosâ solâ aut amaracino oleo cum hederæ vel serpylli succo, vel etiam meliloti decocto, ad caput adhibitis, arcessendum esse: Ad id valentius etiam esse, si papaver ex oleo decoctum Capiti imponatur, vel si eodem aquâ decocto, ex eâ aquâ caput & os foveatur. Valentissimum denique remedium fore, papaveris lacrymam fronti inducere, & illâ nares atque etiam aures implere: neque inutile esse pedes ex oleo leniter contrectare, & caput & aures leviter scalpere, quo utique facto etiam ipsæ feræ mitescunt. Ad mentem componendam ea quoque coràm exhibenda esse, quibus æger quisque pro suâ naturâ vel consuetudine dum sanus fuerat, maximè delectabatur. At si præcordiis vel abdomini tumor vel inflammatio subsit, vel etiam jecur aut lien affectum fuerit, hæc quidem Cataplasmatibus & unguentis idoneis & cucurbitulis applicatis curanda fore; alvum quoque sæpiùs ducendam esse; propter delirium etiam Crines tondere, & ad verticem admotâ cucurbitulâ, sanguinem inde detrahare prodest, sic tamen ut levis cucurbitula, Græci κούφην appellant, inter scapulas priùs applicetur: Si nausæâ stomachus laboret, Absinthii succum dari debere; si verò ardore tentetur, tum lac cum aqua temperatum dari, & si sitis magna & ardor vehementior sit, etiam aquam frigidam, sed parvâ tamen copiâ exhibendam. At si in cardiacum incidat æger ejus imbecillitati per vinum celeriter succurrendum esse: qualem quoque medicinam, ut id obiter adnotem, iis quibus sub febre & delirio alvus soluta esset, olim ab Hippocrate præceptam esse reperio (1). Et si denique morbus in longinquitatem produ-

catur

(1) Lib. de rat. vict. in morb. acutis. Text. 34. Comm. 4. Galen. (ὁρισμένης ποσός.)

catur, & in præcordiis nullus tumor subfit, caput verò solum affici videatur, tum sæpius lavandum corpus, & caput imprimis perfundendum fore ait. Sic ille luculentus auctor, qui ex omnibus veteribus, si fortè Cælium Aurelianum excipiat, & varios casus qui ægrotantibus incidunt, & illorum curationes subtilissimè tradidisse censendus est. Hæc quidem de Aretæo, ejusque curandi ratione dicta sufficiant. Et jam videor mihi curriculum mei mensuram confecisse; illorum utique sententiis hucusque comprehensis, qui ad medicorum veterum Classem priorem referri posse videntur: * Restant autem ex Latinis quidem Cælius, ejusque æmulus Octavianus vel Theodorus, ex Græcis, Galenus & cuncti posteriores; ut de Arabibus taceam, quorum quantus sit numerus adhuc ignoro. Sed si omnia persequi vellem, extra illos fines longius excurrendum esset, quibus Exercitationes hujusmodi concludi debent: Ergo hic tandem consistam; & pro corollario opusculi, phrenitidis curationem illam singularem vobis proponam, quam in nosocomio quodam alicubi factam fuisse Poetæ fingunt (m):

Κοινῇ παρ' κλισίῃ ληθαργικὸς ἦδ' ὀφρενοπλήξ

Κείρωμαι, ἀλλήλων νοῦσον ἀπεσκέδασαν.

Εξέθορε κλίνης γὰρ ὁ πολμήεις ὑπὸ λύσσης

Καὶ τ' ἀναίδητον παντὸς ἐτυπτε μέλους.

Πληγαὶ δ' ἀμφοτέροις ἐγένοντ' ἄκθ'. αἷς ὁ μὲν αὐτῶν

Εγρετο, τ' δ' (n) ὕπνου πούλυσ' ἔειπε κόπος.

Re-

(m) Anthol. Græc. p. 95. Edit. Brœdæi.

(n) ἐς ὕπνον. Brodæus.

(*) Cælius Aurelianus Acut. I. 9. Octavianus Horatian. vel Theodor. Priscian. initio lib. Secundi. Galen. in Isagoge, & in Meth. medend. &c. Quid verò Gariopontus habeat nescio, nam illius libros nunquam vidi.

Reliquum est, ut si quod erratum in hoc commentariolo sit admissum, veniam ejus à vobis impetrem; quam me facilius habiturum spero, si cognoscatis, me peregre redeuntem librorum meorum ope destitui, & multa quæ in præsens propositum olim commentatus sum, nunc fere memoriter scribere coactum esse.

F I N I S.





